HAE QVAESTIONES AGITABVNTVR PVBLICE M. CASPARO MACRO Albimœnio præſide, & Ioanne Vveilhamero reſpondente, in ſchola Philoſophorum Ingolſtadij.

QVÆSTIO PRIMA.

V. Anima ſit, ut loquuntur, ex traduce?

I.

QVæſtio naſcitur ex eo, quòd plurimi animas ab initio mundi ſimul creatas eſſe, poſteà verò in corpora mitti: quidam verò à parentibus propagari, & oriri ex ipſa natura ſeminum crediderint.

II.

Non de ſentiente, aut nutriente anima, quarum actiones tantum ſunt organicæ, loquimur: cùm certum ſit eas ex natura ſeminum propagari. Sed de rationali tantum.

III.

Hæc tunc noua creatur, & corpori inſeritur, cùm ſunt membra hominis iam formata.

IIII.

Eſt enim rationi conſentaneum naturam ſpiritualem à corporali nunquam oriri.

V.

Accedit, quod hæc ſuas actiones ſine corpore exerceat, & tales, quæ omnes, & ſentientis, & nutrientis animæ vires excellant.

CONCLVSIO.

Anima igitur, ut Quæſtioni propoſitæ reſpondeatur, non eſt ex traduce.

QVÆSTIO SECVNDA.

SVnt ne omnes affectus pro Stoicorum ſententia tollendi ex hominum natura, & ἀπάθεια ponenda, nec ne?

I.

Affectus hîc propriè dicuntur illi motus, quibus τὸ ἐπιθυμητικὸν, hoc eſt, vis appetendi rem oblatam vel fugit, vel ſequitur.

II.

Huiuſmodi autem ſunt duplices. Alteri, quia nos ad virtutes impellunt, rationi conſentientes, boni ſunt, & à Græcis dicuntur στοργαὶ φυσικαί: Alteri vero ſunt mali, & motus vitioſi, qui à ratione diſſentiunt.

III.

Vnde non omnes affectus vitioſos eſſe apparet. Quoties enim ſacræ literæ ἀστόργους reijciendo, φιλοστοργίαν commendant?

IIII.

Tametſi autem hi affectus quoque ſunt inter ſe diſſimiles, atque non raro modum excedunt: poteſt tamen gubernatio, ἡ παιδαγωγία velut quædam adhiberi, ne ſepta quaſi tranſgrediamur, ut rectiſſimè Ariſtoteles admonuit.

CONCLVSIO.

Quare non omnes affectus ponendo ἀπάθειαν ex natura humana tollendos concludimus.

APPENDIX.

Imò per ſe nulli affectus nec ſunt mali, nec poſſunt, aut debent ex natura hominis auferri.

M. D. LIIII.

Reverendo D. Georgio Theandro S.S. Theologiae Doctori, et Professori ordinario C. Macer d.d.

A·1554